Quin eò maximè procuratores vos adhibeo, qui me de meipso quam humillimè, de vobis autem, et eâ quâ apud eruditos gratiâ polletis, summa omnia sentire palam sit. Valete viri Fraterrimi et hos mutilos libellos ubi commodum erit remittite, desunt ad umbilicum quaterniones, ad minimum decem, tum in Capite, Præfatiuncula ad Heinsium, cui omnia inscribo (ne quid miremini, quod ejus hic mentionem non faciam) et pauca alia, quæ intra mensem omnia confecta dare Typographi pollicentur. Hagæ. . . Aprilis 1625.

C: Hugeniis.

(68).

D. Heinsio. 1625. circa Aprilem.

Quo te ictu non semel terrui, ferio nunc tandem, Heinse Amplissime. Vapula tu, quæso, quasi amicus feriat et Amici filius; neque enim ut optimi Parentis mei simul recorderis, et valdè mihi succenseas, ab illo candore expecto. Quid me causarum impulerit, ut tuâ, præ cæteris existimatione abuterer, dum meæ consulo, non hic repeto, qui id pluribus in utrâque Præfatione exposui. Addidi has igitur, ut quibus te verbis publicè conventum cupio, privatim præscias, neque si me amas, liberè etiam tum præfari dubites, quâ in parte vel offendo, vel placeo mimis: Rem integram præsto, at undequaque mutabilem, addam, interpolabo, expungam quodcumque jusseris; modo ne tu totum Heinsium, quem frustrà conatum fore iterum iterumque præmoneo. Ad librum sextum, cujus hic initia vides, restant quaterniones decem omninò vel duodecim, quos intra mensem confectos dare Typographi pollicentur. Id isti dum ajunt, effigies autoris Delphis inciditur, qualem in his ædibus à Mireveldio expressam videre, fortasse memineris, imberbem scilicet, et ad illam ætatem, quâ his ineptiis indulgere minus ineptum fuit. Uti enim tu putidam hic ambitionem taxes, mi Heinsi, constanter assero, non aliud me agere, quam ne quis me virum insaniisse existimet, adolescentiæ omnes ignoscant; cum nescio quem sibi barbatum, si diis placet, Cynicum Cercyrea Mastige, quæ olim dedimus, non neminem sæpius fixisse nunciatum sit. Huic tu tabellæ, quam quatuor aut sex versiculis aptari curavimus, Epigrammation ut denegare sustineas, debere numquam desines. En ista amicitiæ, aut nulla, merces est, intrepidè amicum compellare. petere item, quasi repetas, quod mutuò debeatur.

Tu

Tu Heinsi, si quanti te faciam nescis, ex eo collige quod amorem hunc meum, quo te arctissimè complector, mereri hanc gratiam cum edico, nec erubescere me videas, nec meritò iniquum dixeris. Excusationes quas alibi, quas ubique probaverim, en illud, Versas in Mascula Musas numina, nullas admitto, Quin si Poëseos insolentiam, et nescio quem venæ languorem allegas, esto sanè, et qui vini prodigus tot non Hugeniis inquam tuis, fuisti, uni Hugenio, uni tuo toto nec fæcem invideas, qui me hanc ultimam omnium molestiam exhibere sanctè polliceor, imò et finem hunc rogandi facere, seu tibi vel mollescat animus vel obrigeat. Utcumque enim negaveris, debere, inquam, in æternum non desines, cui me solatio post repulsam, te vel invito placatum eo. Vale Vir summe, et amare me multum puta qui sic redamari postulem. Hagæ . . . 1625.

Expecto ~~quod~~ ut mutilum hunc foetum remittas, quò tibi mox integrum ~~rem~~ exhibeamus.

C. Hugenius.

(69).

Caspari Barlæo. S. P.

Quam ego suaviter mihi imponam, nisi cum te video et illum affectum et insignes Iambos, quos penè dixerim videris inscripsisse non mihi, splendidè mentitos amicos fatear, qui vel bonæ fidei jacturâ conciliatum te mihi voluerunt. Præconia illa igitur et non alibi minore merito decritam Lauream ne attingo quidem; Tempori illa permitto, et arctiori amicitiæ, quam ut serò nunc postulas pridem virtuti, atque meritis eximiis constrictus tuis devotam, ita nec laudibus alibi venalem scito. Eâdem operâ mi Barlæe certiorem te faxo, quam ego illas nec promereor nec affecto. Quod per occasionem Libelli mox edendi insignium virorum suffragiis muniri volui, adversus hominum linguacissimos quosdam, quorum ægrè hodiè insaniam evasurus videbar, ut in detrectationem proclivè sæculum est si vel solus ignoscis, gratulor mihi de fronte perfrictâ, quâ tibi quoque nominis ignoti tutelam extorquere sustinui. Gratias ultrà non ago; sufficiat quæso haberi illas, ne quid sub hoc calamo detrimenti capiant. quem ego deficere fateor exprimendo, quanto mihi olim quanto nunc in cultu sis. Testabor tamen re, verbis ac gestu, quantum ulla feret occasio. Hisce verbis

quod

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 15v-16r
http://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/268